

ex se non est ita periculosa. Ita Covarruvias in Clem. *Si furiosus*, part. II, § 4, n. 19; Nicol. Garcias, part. VII, de *Beneficiis*, cap. XII, n. 10, et seqq. citans plures alios; quamvis quoad alteram partem non pauci teneant oppositum indistincte docentes, quod dans operam rei illicitæ, si casu perdat membrum aut in pœnam commissi delicti ab inimicis ipso privetur, fiat irregularis: ut Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 4; Navarrus, cap. XXVII, *Manual*, n. 198; Jo. Andreas, et alii plures; qui inde concludunt, clericum illum censeri irregularem, quem maritus cum uxore sua deprehendit, et de membris inimicis vindictum sumpturus, pudenda ejus abscidit: quia (inquiunt) hoc ipsi est imputandum.

33. *Et hujus ratio.* — Prima pars conclusionis est certa, et communis. Ratio est: quia ille, qui est causa culpabilis homicidii, vel mutilationis in alio factæ, censetur irregularis; ergo multo magis si est causa culpabilis talis mutilationis in semetipso. Antecedens patet ex c. *Presbyterum*, 7, et c. *Continebatur*, 8, de *Homicid.* ubi is, qui non adhibuit debitam diligentiam, ne ex sua actione sequeretur occisio hominis, hac secuta dicitur irregularis: sic enim homicidium illud censetur ipsi, saltem indirecte, et in causa voluntarium.

34. *Secus, si actio illa prævia non est ex se periculosa, seu inductiva mutilationis.* — Altera pars ex eo suadetur: quia hæc ipsa doctrina pariter respectu homicidii, vel mutilationis in persona alterius contingentis, solum procedit in casu, quo quis exercuit actionem pravam, et ex se periculosam, ne mors aut mutilatio sequatur, nec tamen adhibuit cautelam: prout liquet ex casibus, qui per citata jura referuntur. Concordat c. *de Cætero* 11, de *Homicid.*, ubi quidem dicitur, quod dans causam homicidio, sit irregularis; Glossa tamen *γ. Causam*, et Abbas, ibid. n. ult. hoc intelligunt de causa propinqua, forte quæ datur consilio, præcepto, vel opere: secus in remota, arg. c. *Exhibita*, n. 22, de *Homicid.* et L. *Qui domum habebat*, ff. *Locati*. Favet ad propositum textus in cap. ult. de *Homicid.* in 6, ubi ille, qui mandavit aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur, vel mutiletur, efficitur irregularis, si mandataris fines mandati excedendo mutilet, vel occidat. « Cum (inquit Pontifex) mandando in culpa fuerit et hoc evenire posse debuerit cogitare. » Et consequenter, ubi causa culpabilis est solum remota, neque ex se periculosa, ut mutilatio inde evenire posse cogitari

debeat, irregularitas non incurritur, argumento a sensu contrario desumpto.

35. *An sit irregularis qui deprehensus in adulterio, sicque mutilatus, amisit virilia?* — Atque conformiter dictis respondetur cum auctoribus hujus sententiæ, quod ille, qui deprehensus in adulterio, et per maritum uxoris mutilatus amisit virilia, non ideo fiat irregularis: quia hæc causa, etsi sit culpabilis, non est propinqua, seu ex se periculosa, atque inductiva mutilationis, sed solum remota. Nisi forsitan adulter ille omnino, ac bene prævidens periculum securæ mutilationis, ad fœminam illam accessisset: quia tunc sine sufficienti cautela culpabiliter se commisit periculo mutilationis, istamque saltem indirecte, et in causa sua voluit, ac proin hac secuta efficitur irregularis; prout suam sententiam limitat Garcias, loc. cit. n. 12 et 14, potestque in hoc sensu salvari doctrina Navarri et aliorum, supra n. 32 in contrarium allegatorum.

36. *Cum corpore vitiatis regulariter dispensat solus Papa. Et quidem non facile, quando deformitas est gravis.* — Quæritur VI. Quis possit dispensare super irregularitate orta ex vitio corporis? Resp. I. Regulariter loquendo cum corpore vitiatis ad suscipiendum ordines, vel in jam susceptis ministrandum, dispensat solus Papa; quanquam si grave sit vitium corporis et valde magna inde consurgat deformitas, ob reverentiam Sacramenti etiam Summus Pontifex non facile dispensare soleat, arg. cap. II, h. t. Ubi Papa, tametsi ex maxima gratia cum electo in episcopum dispensare intenderit, adhuc prius archiepiscopo, ejusque suffraganeis mandat ut considerent quanta sit deformitas, et utrum tale vitium corporis secundum canones, et consuetudinem Ecclesiæ sit indispensabile, ita ut scandalum in populo non sit timendum, atque exinde, quod sibi visum fuerit exequatur.

37. *Nec solet Papa directe dispensare cum corpore vitiatis.* — Et hoc ultimum ibi notanter additur, quia non solet Papa cum corpore vitiatis directe dispensare, sed rescribit potius ordinario loci, ut si ex inspectione oculari cognoverit non adesse tantam deformitatem, ut exinde possit in populo scandalum oriri, nec aliud canonicum obsistat, ipse dispenset. Rebuffus in *Praxi beneficiorum*, § de *Dispensatione cum corpore vitiatis*, n. 7.

38. *An aliquando cum ipsis etiam dispenset episcopus?* — Resp. II. Quando irregularitas

orta fuit ex culpabili abscissione membri, simulque membrum atque ipsum delictum est occultum, potest in ea episcopus dispensare, vi concessionis a concilio Trident., sess. 24, cap. VI, de *Reform.*, sibi factæ; Navarrus, cap. XXVII *Manual.*, n. 194 et alii. Alioquin autem in dubio poterit quidem episcopus benigne interpretari, seu declarare hic et nunc non adesse tantum defectum atque deformitatem corporis, ut irregularitatem inducat: non tamen in tali irregularitate dispensare, nisi vel ex speciali commissione Sedis Apostolicæ, ejusque auctoritate sibi delegata; ut c. *Significavit*, 4, h. t. ac notat Abbas ibid. n. 2 et Barbosa n. 3, citans communem. Vel nisi casus illi sint jure expressi, ut cap. I, h. t. et concordant dicta superius, tit. II de *Constitutionibus*, § 18, n. 463 et 466 et seqq. (ADNOTATIO LVIII.)

## TITULUS XXI.

## De Bigamis non ordinandis.

1. *Bigamia et polygamia quid?* — Quæritur I. Quid sit bigamia, et unde inducat irregularitatem? Resp. I. *Bigamia* proprie aliud non est, quam successiva reiteratio matrimonii. Et additur, *successiva*; ad differentiam *Polygamie*, quæ est simultanea pluralitas uxorum, qualis olim ex divina revelatione, atque dispensatione, patriarchis Antiquæ Legis permissa fuerat, c. *Gaudemus de Divortiiis* cum similibus. Idque ob paucitatem fidelium, ut nimirum hoc modo vera fides, et agnitio unius Dei, cœli terræque conditoris, quæ ob grassantem tunc undequaque idololatriam propemodum extinguebatur, saltem in posteris Abrahæ copiosius conservaretur.

2. *Polygamia nunc prohibita.* — Nunc autem in lege evangelica penitus est reprobata et per Christum Dominum sublata polygamia seu simultanea pluralitas uxorum ut: *Matth.* XIX, 9; *Marci* X, 21; *Lucæ* XVI, 18, et cit. c. *Gaudemus de Divortiiis*, ac alibi; estque novissime definitum in concilio Trident., sess. 24, can. 2.

3. *Bigamus, trigamus, quis et unde sit dicatur.* — Proinde *Bigamus* proprie vocatur ille qui diversis temporibus, et successive duas legitimas habuit uxores, et cum utraque matrimonium consummavit. Hostiensis in *Sum-*

*ma*, h. t. n. 2. Et dicitur *Bigamus*, quasi mo bini conjugii, seu binæ mulieris maritus, sicut *Monogamus*, dicitur unius uxoris vir, can. *Unius uxoris*, dist. 26, a *monos*, quod est unum, et *gamos*, quod est conjugium, vel mulier, ut explicat Glossa ibidem. Hinc *Trigamus*, qui tres; *Octogamus*, qui octo successive habuit uxores; et sic loquendo de aliis can. *Aperiant*, 31, q. 1.

4. *Bigamia inducit irregularitatem.* — Resp. II. Quamvis priore uxore mortua licitum sit ad secunda vota transire; ut patet ex toto titulo, de *Secundis nuptiis*, et alibi; nihilominus ejusmodi bigamia, seu successiva pluralitas uxorum, inducit irregularitatem; ac proinde bigami ordinari prohibentur. Ita communis; et patet ex Rubrica præsentis tituli, quæ inscribitur: *de Bigamis non ordinandis*: sicque quia reddit sensum perfectum, deservit pro regula negativa. Idem liquet ex nigro præsentis tituli, ac toto ejus progressu, una cum pluribus concordantiis.

5. *Quæ descendit ex traditione Apostolica. Nuptiæ terram replent, virginitas cœlum.* — Porro hujusmodi irregularitas ex bigamia proveniens, ac per diversos sacros canones declarata, descendit ex antiquissima traditione Apostolica, juxta illud Apostoli I *Tim.* III, 2 et 12. *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Et infra: *Diaconi sint unius uxoris viri.* Intellige, non quod necessario debeant esse uxorati, sed quod non plures debeant habuisse uxores: et sic verba affirmativa exponuntur negative, Glossa can. *Unius uxoris*, dist. 26, *γ. Unius*. Unde, qui nullam habuit uxorem, non prohibetur ordinari: imo tales liberius, et affectuosius sunt admittendi, can. *Ante triennium*, dist. 31, et can. *Catinensis*, dist. 61. Ac merito: « quia nuptiæ terram replent, virginitas cœlum, » prout dicitur can. *Nuptiæ*, 31, q. 1.

6. *Irregularitas bigamiæ oritur ex defectu sacramenti; et cur?* — Communiter autem hæc irregularitas dicitur oriri « Ex defectu sacramenti, » ut notatur can. *Acutius*, dist. 26, et c. *Debitum*, 5, h. t. Siquidem matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem: juxta illud Apostoli *Ephes.*, v. 32. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo et Ecclesia.* Hæc autem significatio deficit in matrimonio cum secund uxore, vel cum vidua, aut corrupta contracto et consummato: quia talis non est conjunctio

nus cum una, eaque virgine; sicuti Dei Filius per carnis assumptionem copulavit sibi Ecclesiam unam, virginem, et ab alio non assumptam.

7. *Bigamia quotuplex; quæ?* — Quæritur II. Quotuplex sit bigamia? Resp. I. Bigamia est triplex, videlicet vera, interpretativa, et similitudinaria. Ita Navarrus, cap. xxvii, *Manual.* n. 195; Fagnanus in c. *Nuper*, n. 2, h. t. et communis modernorum; quamvis Glossa in c. *Super eo*. §. *In bigamis*, ac Hostiensis in *Summa*, n. 3, h. t. et nonnulli alii antiquiores duo tantum membra constituent, nempe bigamiam veram, et interpretativam. Et quod quælibet ipsarum arceat a receptione ordinum, atque irregularitatem inducat, patebit ex iuribus illico allegandis. Itaque

8. *Bigamia vera, quæ?* — Bigamia vera est, quando quis valide contraxit matrimonium cum duabus, illudque consummavit. Et additur notanter, « illudque consummavit: » nam ex solo matrimonio rato cum secunda inito non consurgit bigamia, nisi illud etiam sit consummatum; ut liquet ex can. *Valentino*. dist. 34, et c. *Debitum*. 5, h. t. Ubi is, qui mulierem ab alio viro desponsatam per verba de presenti, sed ab illo non cognitam, duxit uxorem, bigamus non censetur, nec impeditur promoveri ad sacerdotium. « Quia (inquit Pontifex) nec illa, nec ipse carnem suam divisit in plures; » sicque non intervenit defectus sacramenti significantis conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem. Quinimo matrimonium ratum, quod consistit in consensu animorum per verba de presenti, significat tantummodo conjunctionem Christi cum anima fidei per gratiam, seu charitatem, d. c. *Debitum*.

9. *Atque hæc inducit irregularitatem, etiam contracta ante baptismum.* — Porro, quod bigamia vera inducat irregularitatem, præter traditionem Apostolicam supra jam allegatam, patet ex can. *Maritum*, dist. 33, et can. *Cognoscamus* et seqq. dist. 34, et cap. 1, et III, h. t. Idque præcedit, sive quis ante baptismum, sive post ipsum, duas uxores habuerit, aut viduam duxerit: quia talis ex eodem defectu sacramenti censetur exclusus ab ordinibus. « In baptismo eam crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur, » prout notatur in can. *Si quis viduam*, dist. 34.

10. *Solvantur jura in contrarium militantis.* — Nec dicas, hæc doctrinam contradicere can.

*Unius uxoris*, dist. 26. Resp. enim id accidere ex eo: quia olim gravis fuerat controversia inter sanctum Hieronymum, et sanctum Augustinum, an ille, qui ante baptismum habuit unam, et post baptismum alteram uxorem, sit ordinandus? Et quidem sanctus Hieronymus relatus in cit. can. *Unius uxoris*, dist. 26, censuit talem posse ordinari, eo quod per baptismum factus sit novus homo, ac proin nec supra, nec alia, quæ ante fuerint, ei jam obsint. Verum sanctus Augustinus, relatus in can. *Acutius*, ead. dist. 26, contrarium tenuit, asserens talem esse bigamum ob defectum sacramenti, sicque juxta verbum Apostoli non esse ordinandum: cujus sententia per Innocentium Papam postea fuit approbata in can. *Deinde*, ead. dist. 26, et rursus in cit. can. *Si quis viduam*, dist. 34, idque ob rationes proxime allatas.

11. *Homicidium commissum ante baptismum, cur non inducat irregularitatem, bene tamen bigamia.* — Quod si urgeas: Homicidium commissum ante receptum baptismum non causat irregularitatem, can. *Si quis viduam*, dist. 50, et can. *Si quis post baptismum*, dist. 51; ergo idem dicendum de bigamia. Resp. negando consequentiam et paritatem. Nam quoad homicidium jura expresse hoc statuunt, eo quod per baptismum crimina plene dimittantur, sicque etiam purgetur prior prava et immitis voluntas, qua illud fuit commissum. Secus dicendum de bigamia: neque enim in baptismo tollitur acceptæ uxoris consortium, nec reintegratur divisio carnis, ut cessare valeat defectus sacramenti, per Apostolum, cit. cap. v, *ad Ephesios*, explicati.

12. *Bigamia interpretativa, quæ?* — Bigamia interpretativa dicitur, quæ incurritur ab eo, qui quadam juris fictione, seu interpretatione, censetur habuisse duas uxores, etsi vere illas non habuerit: ut si quis contraxit cum vidua, vel ab alio corrupta, cit. can. *Maritum*, dist. 33, et can. *Si quis viduam*, dist. 34; et alibi. Item, si quis cognovit propriam uxorem post adulterium ab ipsa commissum, can. *Si cuius*, et can. *Si laici*, dist. 34, ubi proin laicus, cujus uxor adulterium commiserat, et postea adhuc ab eo cognita fuerat (ut addit Glossa ibid. §. *Admitti*.), ad ministerium ecclesiasticum admitti, seu ordinari prohibetur: si vero post alienius clerici ordinationem, uxor ejus adulterata fuerit, jubetur hæc dimitti; sin minus, clericus ille a suscepto altaris ministerio alienus esse.

His accedit alius modus bigamiæ interpretativæ, quando videlicet quis contrahit, et consummat duo matrimonia invalida, vel unum validum, et alterum irritum: et hoc, non propter defectum sacramenti (supponitur enim matrimonium esse invalidum), sed propter affectum intentionis cum opere subsequuto, arg. c. *Nuper a nobis*, in fin. h. t. ac notat Navarrus, cap. xxvii, *Manual.*, n. 195, et Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 49, n. 11, citans alios.

13. *Incurritur etiam ab eo, qui ignoranter cognovit uxorem adulteram, vel duxit corruptam. Etiam si mulier per vim fuisset cognita ab alio.* — Et sciendum, quod bigamia interpretativa non solum incurritur ab eo, qui uxorem adulteram, vel jam ab alio corruptam, cognovit scienter, seu resciscens eam esse talem; ut vult Sa. §. *Irregularitas ex bigamia*, n. 2, et 3; Ledesma in *Summa, de Matrim.* cap. xxxii, concl. 6, ad fin., sed etiam ab illo, qui duxit corruptam, quam credebatur esse virginem, aut qui uxorem adulteram cognovit, ignorans esse talem. Ratio est: quia impræsentiarum non agitur de irregularitate proveniente ex delicto, seu propria culpa, ad quam requiritur scientia; sed de ea, quæ provenit ex defectu sacramenti, qualem potest pati, et in dictis casibus patitur ignorans. Navarrus cit. n. 195; Garcias, part. VII, *de Benefic.* cap. vi, n. 46; Barbosa, cit. allegat. 49, n. 9; Fagnanus, c. *Nuper a nobis*, n. 5, h. t. et communis aliorum. Quinimo istud extendunt doctores etiam ad eum casum, quo mulier per vim fuit cognita ab alio: quia vis illa præcisa excusat quidem feminam a culpa, sed non tollit defectum sacramenti.

14. *Disparitas inter irregularitatem ex occisione hominis, et ex bigamia proveniente.* — Nec dicas: Juste occidens hominem, ut puta iudex malefactorem, incurrit irregularitatem ex defectu solum, et tamen ab hac incurrenda excusat ignorantia, c. *Lator*. et c. *Dilectus*, cum seqq. *de Homicid.*, ergo pariter excusat ignorantia ab irregularitate bigamiæ. Resp. enim negando consequentiam, et paritatem: nam illa irregularitas est a jure inducta ob defectum perfectæ lenitatis ex parte occisoris, atque ideo necesse est, ut sit voluntaria: secus est in irregularitate bigamiæ, utpote quæ est inducta a jure solum ex defectu sacramenti, qualis potest intervenire etiam stante dicta ignorantia.

15. *Bigamia similitudinaria, quæ?* — Bigamia similitudinaria est, quæ contrahitur

ex attentatione et consummatione matrimonii, licet invalidi, post votum solemne professionis, vel receptionem sacrorum ordinum. Nam si quis per ejusmodi solemne votum prius cum Deo, vel Ecclesia contraxerit, et postea carnale matrimonium de facto (de jure enim non potest) attentare præsumpserit, similis censetur iterato contrahenti, sicque incurrit bigamiam similitudinariam; ut can. *Quotquot*. et can. *Monacho*. 27, quæst. 1, juncto c. *Nuper a nobis*, 5, et cap. ult. h. t.

16. *In matrimonii contrahendis non juris effectus, sed affectus attenditur.* — Nec obstat, quod tale matrimonium ipso jure sit nullum; sicque non videatur posse præstare impedimentum ordinum recipendorum, arg. c. *Non præstat impedimentum. de Reg. jur.* in 6. Resp. enim hoc neququam obstat, atque dictam regulam juris impræsentiarum pati limitationem, per cit. c. *Nuper a nobis*. h. t. ubi dicitur, quod quantum ad incurrendam irregularitatem bigamiæ « in matrimonii contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attendatur: unde illum comitatur infamia, qui duas simul habuit uxores, » haud obstante, quod secundum matrimonium sit nullum. Talis igitur, licet in veritate bigamus non sit, adhuc tamen inter bigamos reputatur: « non quidem propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsequuto. » Hæc ibi. Et concordat d. cap. ult. h. t. ubi proin decisum habetur subdiaconum, qui cum vidua contraxit de facto (de jure enim non potuit) eamque cognovit, incurrisse penam bigamiæ, licet bigamus non sit. Unde paucis loquendo, ita contrahens censetur bigamus, non effective, sed affective, atque similitudinarie.

17. *Fornicans cum pluribus, non incurrit bigamiam.* — Quæritur III. An bigamiam, seu irregularitatem ex defectu sacramenti incurrat, qui extra matrimonium constitutus cum pluribus fornicatur, aut plures habet concubinas? Resp. negative: quinimo presbyterum, qui plures habuit concubinas, ex hoc non esse bigamum, neque irregularem, expresse decisum habetur in c. *Qui circa*, 6, h. t. Ratio est: quia hic non intervenit defectus sacramenti (de quo habetur mentio in c. *Debitum*, h. t. estque dictum supra, n. 6.), cum nullum præcesserit matrimonium, ne quidem attentatum, significans conjunctionem Christi cum Ecclesia.

18. *Irregularitas bigamiæ non inducitur per*